

tisponensis episcopus, non sine conatu multiplici et labore ipsas de ritu canonico transferens, infra septa monasteriorum suorum juxta formam regule Benedicti statuit communiter habitare, non parum reputans studii sui lucrum, quod persone tam nobiles et sublimes ad relinquendum consuete libertatis solacium poterant inclinari. quarum nobilitas, gloria et excellentia dignitatis usque nunc laudabiliter perseverat, eo quod ex illustri prosapia generate, regalis pariter exemptionis titulo decorentur, recipientes ab imperiali majestate cum sceptro regalia, sicut et ceteri regni principes suscipere consueverunt. a primo quoque tempore sue translationis quedam ipsis consuetudines remanserunt, usus scilicet carniū et vestium vulpinarum, et quod secundum consuetudinem vite canonice cuilibet in exhibitione prebende sue singulariter ministratur. nec aliud potest fieri, eo quod ab antiquis temporibus ipsarum sunt predia taliter ordinata. sed et in Monasterio sancti Pauli, secundum cujus institutionem et formam prefata duo claustra per sanctum Wolfgangum fuerant ordinata, usque in hodiernum diem omnia hec perdurant. Preterea regulam sancti Benedicti minime profitentur, sed tantummodo statum illum, quem per consuetudinem invenerunt, cum pene omnes in etate puerili, non voluntarie, sed coacte a parentibus intrudantur. Hec omnia in inquisitione utriusque loci Hiltigardis abbatissa, Diemūdis decana, Willeburgis celleraria Inferioris monasterii, de Superiori vero monasterio Richza abbatissa, Diemudis celleraria, Liukardis, Adelheidis, Chunegundis, Friderūnis jurate dixerunt, et cum eisdem omnes alie consenserunt. quamvis vero non ostendatur privilegium et scriptum aliud, per quod libertatis hujusmodi eis gratia sit collata, tamen verisimile videtur, quia, cum ex antiquo predicta monasteria, in principatu pariter et persona tam preclsa fuerint nobilitate ditata, exemptionum multarum de facili potuerint obtinere beneficia, que fortassis per incendia vel casus alios, ut creditur, periire. Diversis autem temporibus diversi Apostolice sedis legati, venientes ad monasteria memorata, habitum et vitam dominarum diligentius cognoscentes, nullam nove mutationis varietatem tradiderunt eisdem, sed consolantes ipsas affabiliter, ut reperte fuerant, dimiserunt. verum quia mentes habent timidas et conscientias delicatas, nutant sepius animo et formidant, status habere certitudinem et salutem omnimodam